



Disputatio V.

Continens *diszodov* Articuli IV.

De Bonis Operibus.

PROFORMV  
LA CHRISTIANÆ  
CONCORDIÆ

*Quam assistente divinâ gratiâ*

SUB PRAESIDIO

*Reverendi & Clarissimi Viri,*

Dn. LEONHARTI  
HUTTERI SS. THEOL. D. ET  
Professoris in celebri Academiâ VViteber  
genſi Publ. in Collegio disputationum Theolo  
gicarum privato proponit & exhibet

NICOLAUS HUNNIUS MAR  
purgensis Hassus.

*Ad diem 17. Septembr. Anno 1603. horis  
pomeridianis.*

VVITEBERGAE, Ex Officina Cratoniana.



Disputatio  
Controversiarum Antiquarum

De Bonis Operibus

P. R. O. T. O. R. U. M.

L. A. C. H. R. I. S. T. I. A. N. A.

COECCORDIAE

Quae ab anno 1685

sub Praesidio

Reservatae est

Dr. LEONHARDI

HUTTENI S. THEOL. D. ET

Proficis in ecclesia & academia

genui in Collegio Antiquarum Theol.

genui in Collegio Antiquarum Theol.

genui in Collegio Antiquarum Theol.

NICOLAUS HILTMANNUS

Magistri


Ad diem 17. Septembris

1685

WITTEBERGAE Ex Officina

Antiquarum





# DE BONIS OPERIBUS.

## CAPUT I.

### De bonis operibus in genere.

#### THESIS I.



*Trox est, ac impudens, sed valde vulgaris. Pontificiorum in nostras Ecclesias calumnia, quasi opera bona non facienda esse doceant, propterea, quod eadem ad justificationem nihil conferant, ex eiusdem foro penitus eijcienda esse pronunciant.*

#### II.

*Cui insigni mendacio, et si mox sub primam reformationem Ecclesiarum nostrarum à B. Luthero prestitam, tum variis nostrorum scriptis, tum verò, & cum primis Articulis 6. & 20. confessionis Augustanae obviam fuit itum: tamen ex earum etiam questionum, quas liber Christiana Concordia pertractat, diexodo, eiusdem cavillationis stupenda vanitas patet luculentius.*

#### III.

*Rectè autem definiuntur bona, Deoq; placentia opera, quòd sint opera verbo Dei precepta, facta ab his, qui sunt in gratia, non propriis viribus, sed per Spiritum sanctum, eo fine, ut Deo, sua probent obsequia, & gratitudinem, eundemq; glorificent, proximo verò inserviant, suamq; fidem publicè coram hominibus declarent.*

#### IV.

*Patet hinc, opera verè bona non esse, nisi que divinitus in verbo revelato sunt mandata: id quod sacra scriptura passim confirmat: Exod. 20. v. 2. Dev. 5. v. 6, Eph. 4. v. vlt. 1. Ioh. 4. v. 11. & vlt: 1. Tim. 6. v. 18. Et quidem tantum, que Deus precepit esse facienda. Dev. 4. v. 2. & cap. 12. v. 32. Esa. 1. v. 13. cap. 58. v. 3. 4. & 5. cap. 66. v. 3. Psal. 109. v. 7. Coloss. 2. v. 22. Tit. 1. v. 15. Ebr. 11. v. 6. Imò frustra commentitiis, & humano arbitrio excogitatis operibus coli Deum. Esa. 29. v. 13. Matth. 15. v. 9.*

#### V.

*Qua causa est, quòd opera à Deo mandata exequentibus preclaras promissiones propositas Lev. 26. v. 3. 1. Timoth. 4. v. 8. Contra verò ad speciem quam-*

vis bona, non autem divinitus præcepta facientibus pœnas decretas, & irrogatas esse legimus. 1. Sam. 15. v. 15. & 19. 2. Sam. 6. v. 7. Lev. 10. v. 10.

VI.

Ab hominibus autem renatis, personisq; Deo reconciliatis, minimè verò à non renatis, adeoq; Deo invisus hominibus fieri possunt bona, Deoq; placentia opera. Cum enim persona non placeat, ipsum quoque opus quantumvis etiam secundum substantiam facti bonum: non quidem per se, verum ex accidente malum ac Deo exosum redditur, id quod exemplo Cain Gen. 4. vers. 5. perspicuum evadit.

VII.

Hocq; confirmant tum Iohannes, bona, Deoq; placentia opera pœnitentiæ fructus nominans. Matth. 3. vers. 8. tum quoq; Paulus fructus spiritus Gal. 5. v. 22. nec non Phil. 1. v. 11. justitiæ fructus vocitans.

VIII.

Quo firmiter stante, certè cum Ethnicorum, aliorumq; infidelium hominum civiliter bona opera ex fide non profluant, operum Deo placentium nomine venire non possunt, sed potius ex sententia Apostoli Rom. 14. v. 23. inter peccata numeranda sunt.

CAPVT II.

STATVS CONTROVERSIÆ.

I.

Format concordia questionis statum geminum: quorum prior quidem dissidium continet Theologorum, ex una parte contendentium, opera bona necessaria esse ad salutem: ex altera verò parte asserentium, opera bona ad salutem esse perniciofa.

II.

Posterior verò alterum Augustanæ Confessionis Theologorum schisma continet, dum altera quidem pars vocabulum necessarij de novâ obedientiâ, utpote, quæ ex Spiritu proficiscatur spontaneo, prorsus usurpari haud posse, censebat: altera contra meritò vocabula hæc retineri assererat, quandoquidem in potestate nostra posita haud sit, sed ex debito præsterur nova obedi-

tia.

CA-

CAPUT III.  
AFFIRMATIVA.

MEMBRUM I.

De Phrasibus: bona opera sunt necessaria ad salutem:  
Et, impossibile est, sine bonis operibus  
quempiam salvari.

I.

Sententiam suam de hisce loquendi modis ferens concordia formula pñlōs  
asseverat, bona opera excludenda esse penitus, & à justificatione, & à salvatione:  
ac proinde phrasēs hasce haud obscure, uti nec immerito reijcit ac damnat.

II

Ad θεσπεως verò suae probationem concordia nostra Davidicam illam  
Psal. 32. v. 1. Pauli calculo approbatam beati, ut & beatitudinis definitionem  
satis convenienter citat. Definit namq; ibidem Apostolus, quod beatus sit, cui De-  
us SINE OPERIBVS justitiam imputat, & peccata remittit. Quo pacto  
propositionem hanc (bona opera sunt necessaria ad salutem) quippè ἀντιΠαλινός  
oppositam satis manifestè Apostolus explodit & reijcit.

III.

Etenim, cum beatus sit is, cui remissa sunt iniquitates, & cuius peccata  
( sanguine à imputata Christi justitia ) tecta: beatitudo verò justitiae Christi  
imputatio sine operibus esse dicatur: rectè, ac infallibiliter inde concluditur, ju-  
sticiam, & beatitudinem, sive aeternam salutem non posse nos operibus nostris, ul-  
lo aliquo respectu sive ex toto, sive ex parte promereri, verum in gratuita Christi  
justitia imputatione, peccatorumq; remissione insolidum atq; unice omnem no-  
stram justitiam, beatitatem, aeternamq; salutem consistere.

IV.

Abundè hac in re nobis sufficit vel sola Pauli autoritas, quem easdem justi-  
ficationis & salvationis causas constituere certum est. Dum enim quod hic de ju-  
stificatione effert, id alibi salvationi nostrae adscribere non dubitat, sicut, quod  
de hominis iustificatione coram Deo pronunciat, iustificari hominem gratis ex so-  
lâ gratiâ Dei Rom. 3. Gal. 2. & alibi, id salvationi adscribens Act. 15. v. 11. Eph.  
2. v. 8. 2. Timoth. 1. v. 9. Tit. 3. v. 5. easdem utriusq; causas haud obscure  
definit.

## V.

Insuper, idem Apostolus satis clarè phrases, de quibus hoc loco queritur, damnat, dum saluationem etiam sola fide nos assequi, disertè dicit in modo allegatis locis. Act. 15. v. 11. Eph. 2. v. 8, 2. Tim. 1. v. 9. Tit. 3. v. 5.

## VI.

Proinde meritò ex Ecclesià locutiones illæ reijciuntur, quandoquidem analogie fidei, & ὑγιαίνοντων λόγων ἡ ἀποστολική manifestum bellum indicunt: & conscientias in grauioribus tentationibus constitutas ad desperationem adigunt: ut quæ subinde dubitare necessum habent, utrum tot, ac talia opera præstiterint, quæ quot, & qualia ad salutem sint necessaria: id quod ex sequentibus etiam rationibus euadet manifestius.

## VII.

Constat enim, de quibus nunc agimus, phrases, saluatoris Christi meritum evacuare, ac annihilare penitus. Etenim si solum & unicum Christi meritum salutem nobis comparare nequit, quin potius operum nostrorum assumpto indiget: cerè frustraneum omne Christi meritum erit, inane reddetur atq; vacuum totum redemptionis, incarnationis &c. opus.

## VIII.

Cùm enim Christus venerit seruare, quod perierat Luc. 19. v. 10. cerè finem illum aut assecutus est, aut non. Posterius qui asseruerit, ex Christianorum scholis eijciendus est. Sin Christus finem, cuius gratia in mundum venit, est assecutus, negari nullo pacto potest, plenariè hunc finem ipsum assecutum esse, siquidem perfecta causa imperfectum effectum producere haud potest. Si plenariè, exclusa prorsus sunt cuncta nostra opera. Si enim ex gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia. Rom. 11. v. 6. Et gratia non est gratia ullo modo, quæ non est gratuita omni modo; ut quidam ex patribus piè pronunciauit.

## IX.

Hinc scripturarum oracula Matth. 1. v. 12. Act. 2. v. 38. cap. 4. v. 12. cap. 20. v. 43. cap. 15. v. 11. 1. Iohann. 2. v. 2. & alia salutem nostram, cunctaque, quæ nobis contingere possunt bona, unice Christi merito disertissimis verbis attribuant.

## X.

Confirmatur etiam concordia thesis ex eo, quod regnum cælorum, sive salus æterna hereditatis nomine censetur in scriptura. Rom. 8. v. 17. Hereditatem verò operibus nostris minimè, sed unicà, atq; gratuita patris adoptione consequi possumus: sicq; ad eandem assequendam opera nostra neq; necessaria, neq; ad hereditatem illam promerendam sufficientia ullo pacto esse possunt: id quod vel unica vox κληρονομίας abundè satis demonstrat.

Tandem.

XI.

Tandem, ut caveamus, ne propter nos nomen Domini, & doctrina Evangelij ab adversariis blasphemetur, ipseque Antichristianismus turgentibus velis in Christianismum à sordibus Antichristianis vix dum repurgatarum sinum denud invehatur, has phrasas, tanquam venenum aspidum fugere nos oportebit; quandoquidem his loquendi modis admissis feliciter jam sua in salvificam fidem venenata tela eiaculari poterunt Romanenses: & vel uno hoc pacto omnis scriptura contra operum & iustificationem & salvationem militans, inutilis reddita, tutum nobis ad orthodoxam sententiam defendendam praesidium praebere amplius haud poterit.

XII.

Obvertunt autem locutionum istarum tutores, ad salutem retinendam opera bona necessario requiri. Ut verò illi & ab hoc deiciantur praesidio, Apostolorum principes loquentes, de quibus perversa hanc sententiam ferentes, audiamus.

XIII.

Paulum quidem 1. Rom. 5. v. 2. dicentem: per quem (Christum) habemus accessum FIDE in gratiam istam, in qua STAMVS, & gloriamur in spe gloria filiorum Dei. 2. De se multis ante annis iustificato pronunciat, in fide se vivere filij Dei. Gal. 2. v. 20.

XIV.

Petrum verò 1. Epist. 1. v. 5. sic loquentem: virtute Dei custodimini per fidem in salutem. Et v. 9. Reportantes finem fidei, vestrae, salutem animarum.

MEMBRVM II.

De phrasi: bona opera sunt ad salutem perniciofa.

I.

Sicut a. phrasas, de quibus modò dictum, in excessu peccant, nimiumque & quidem plus, quàm vel sana doctrina, vel verbum Dei admittit, bonis operibus attribunt sic opposita haec phrasi (bona opera ad salutem sunt perniciofa) in defectu delinquens, etiam id, quod verbum Dei admittit, operibus bonis detrahit.

II.

Quantumvis autem propria sua & futilitate, & impietate paradoxum hoc ultrò corruat; cum tamen haud defuerint, qui eius patrocinium susceperunt; causas, ob quas concordiae formula illud anathemate percusserit, paucis in praesentia videbimus.

A 4

Es



III.

Et primò quidem impingit phrasis hæc in immensam Dei Φιλανθρωπίαν atq; iustitiam. Etenim bona venatorum opera ab eo præcepta cum sint, eidemq; vel maximè placere constet Rom. 12. v. 1. Coloss. 3. v. 20. 1. Tim. 5. v. 4. & alibi: ita ut gravissimam inobedientibus constituerit pœnam, certè si ea ad salutem perniciofa esse dicantur: ἐξ ἀνάγκης sequitur, Deum ter opt: Max: id. quod salutem nostram impediat, imò penitus evertat, præcepisse, quin & pœnam præcepto huic non obsecundantibus destinasse omnium gravissimam: id quod de Deo vel cogitare plus est, quàm Ethnicum, & blasphemum.

IV.

Quid? quòd scripturâ docente novimus meliorem esse obedientiam (bona opera) sacrificiis. 1. Sam. 15. v. 22. Iam verò sacrificia tempore veteris Testamenti quàm maximè placuisse Deo, adeoq; nulli perniciofa fuisse ad salutem, quis dubitabit? Quomodo ergò saluti nostræ ullo pacto officere poterunt bona novæ obedientiæ opera?

V.

Si insuper phrasis isthæc constabit salva, certè bona opera remunerationem amplius non repositam habebunt apud Deum. Gen. 4. v. 7. cap. 22. v. 15. c. 26. v. 4. & 5. Exod. 1. v. 20. cap. 23. v. 22. 1. Tim. 4. v. 8. imò non poterit Dei illud effatum, juramento confirmatum Ezech. 33. v. 11. consistere, utpote phrasi illi è regione oppositum.

VI.

Deniq; locutio isthæc Epicureismum redolet, nec non Christianam disciplinam omnem mirè conturbat, imò prorsus convellit.

VII.

Cùm namq; mens Christiana eò semper respiciat, & meritò, ut quæ ad salutem sibi conducibilia intelligit studiose sectetur, vicissim, quæ salutem suam evertere videt, longè à se repellat: animadvertens, opera bona ad salutem esse perniciofa, eadem fugiet, ac quàm studiosissimè cavebit, ne quid committat animæ suæ (qualia sint etiam bona opera) extremum exitium inferens.

VIII.

Ne verò propterea quis existimet, affirmare nos bona opera nullo prorsus pacto, nullaq; ratione fieri posse ad salutem perniciofa: subijcit concordia istam ἀπίστου, quod opera quantumvis bona, tùm evadant plusquàm detrimentosa ac exitiosa, quando per Pharisaismū, sive Papisimum illis assignatur sive totalis, sive partialis justificatio, quæ soli fidei debetur. Quod tamen per accidens fieri, satis patet ex

tet ex iis, quæ de articulo justificationis nuper disputavimus. Hæc de primo statu:  
jam ad alterum.

### MEMBRUM III.

#### De vocabulis liberi & necessarij.

##### I.

De altero questionis statu, quid statuendum, paucis concordia exprimit. Cum namq; vox necessarij, quando de novâ obedientiâ sermo est, plerumq; de debito, quo ad faciendâ bonâ opera creatori nostro astricti sumus, accipiat: hoc certè in articulo citra omne vel scandalum, vel periculum usurpari illam posse, concordia rectissimè colligit, & desinit.

##### II.

Quod ipsum vel mens sana dicat, videlicet debitum, quod Deo solvere tenemur, rationem habere necessarij, & necessitatis.

##### III.

Neq; verò propterea legem servili quadam coactione à renatis bona opera exigere statuimus; justo enim lex non necessest 1. Tim. 1. v. 9. & scriptura passim testatur, servire renatos Deo, non in vetustate literæ, sed in novitate Spiritu- Rom. 7. vers. 6.

##### IV.

Haud proinde necessitas isthæc debiti, quæ renatos obligat, ullo modo coactioni æquivaleret: siquidem obedientiam legi præstant non coacto, aut servili, sed libero, ac spontaneo spiritu, planeq; filiali obsequio. Rom. 7. v. 6.

##### V.

Hinc Paulus novam obedientiam renatorum desinit 2. Cor. 9. v. 7. per ægail- geon cordis sine necessitate. Et in Epistola ad Philem. v. 14. Bonum tuum, inquit, non sit ex necessitate, sed voluntarium. Quod ipsum repetit 2. Cor. 8. v. 12. 1. Cor. 9. v. 17. Sic David Psal. 53. v. 8. voluntarium promittit sacrificium. Et Psal. 110. v. 3. populum spontaneè oblaturum pronunciat.

##### VI.

Et hoc ipsum est, quod Dominus requirit cor mundum. Psal. 51. v. 12. mentem renovatam Rom. 12. v. 2. Novum interiozem hominem Eph. 4. v. 24. Coloss. 3. v. 10. Rom. 7. v. 22. Novam creaturam. 2. Cor. 5. v. 17. Gal. 6. v. 15.

##### VII.

Ac quemadmodum filius obediens mandata patris exequitur, quantumvis ex debito, ac necessitate, promptè tamen spontè, atq; liberè, neq; coactè: ita quoq; verè

verè ex Deo natus mandata patris cœlestis facit ex Spiritu libero, & Spontaneo, promptè atq; libenter, neq; refert, quod illud facit ex mandato atq; (vocabulum in sano sensu cape) necessitate debiti: siquidem spontanea hæc obedientia, necessitati debiti, ac ordinis non contradictoriè est opposita, sed ὑπαλλήλωσ subordinata.

#### VIII.

Porro, uti vocabulum necessarij & debiti non de coactione ac impulsu legis accipiendum esse diximus, ita quoq; vocem liberi non de libertate illà Epicurèâ, (quâ liberum sit homini mandata Dei vel facere, vel omittere, vel etiam peccata quævis committere) intelligendam esse statuimus.

#### IX.

Ratio est: I. Quia Deus non vult, ut planè soluti, & immunes sint renati à studio bonorum operum Matth. 20. v. 6. Rom. 3. v. 10. cap. 7. v. 19. cap. 13. v. 12. 2. Pet. 1. v. 8. Eph. 2. v. 10. II. Neq; permittit Deus renatis, ut securè impietatibus indulgeant. Rom. 6. v. 15. cap. 13. v. 8. Thess. 4. v. 7. Tit. 2. v. 10. III. Sed vult, ut bona opera faciant. Ioh. 13. v. 34. Rom. 6. v. 12. cap. 12. vers. 2. 1. Thess. 4. v. 3.

#### X.

Neq; etiã libertas Evangelica negligere potest mandata Dei, per fidem siquidem legem non destruimus, sed statuimus. Rom. 3. v. 31. Cumq; lex moralis abrogata minimè sit. Matth. 5. v. 17. nosq; illius simus debitores (quod supra ostensum) non patitur certè libertas Evangelica, ut extra præscriptos legis divinæ limites vagemur, sed jubet, ut intra illos (non ut servi, sed ut filij nos contineamus, & sic intra metas à Deo ipso præfixas, fidem nostram exerceamus.

#### XI.

Quæ libertas, quàmvis sit imperfecta Rom. 7. v. 14 & 15. plurimisq; subindè obruatur infirmitatibus Rom. 7. v. 21. & 23. Gal. 5. v. 17. Tegitur tamen defectus iste sanguine Christi, & propter fidem in Christum pro perfectà reputatur, ita, ut nihil iam sit damnationis his, qui sunt in Christo Iesu. Rom. 8. vers. 1

### MEMBRUM IV.

An per peccata contra conscientiam expellatur Spiritus sanctus?

#### I.

Ex dictis alia oritur questio: an fides, ac Spiritus sanctus amittantur, si homo sciens, volensque reclamante conscientia peccet: & an sancti  
reti-

retineant Spiritum sanctum, si maximè in peccata contra conscientiam ruant, in ijsq; perseverent?

II

Negativam hic omninò tuemur, eam cum primis ob causam, quòd verbum Dei pluribus in locis affirmativam apertè damnat.

III.

Quicumq; enim secundum carnem vixerint, morientur. Rom 8. v. 12. Fornicarii, idolià servientes, fures &c. regnum Dei non possidebunt. 1. Cor. 6. v. 9. Gal. 5. v. 15. Eph. 5. v. 5 propter peccata ista ira Dei venit super filios incredulitatis. Coloss. 3. vers. 5.

IV.

Vnde infallibiliter colligimus. Quicumq; iusto Dei punientis scelera, iudicio, aeternae morti est destinatus, qui regnum Dei non possidebit, super quem veniet ira Dei: eum impossibile est, retinere fidem, ac Spiritum sanct. Tales verò sunt omnes, qui contra conscientiam peccant: Ergo &c.

CAPUT IV.  
NEGATIVA.

I.

Quibus ita positis, reiicimus primò Pontificiorum tum calumniam, qua Ecclesias Lutheranas bona opera vetare, convitiantur: tum etiam erroneam eorundem opinionem, quando contendunt, illa etiam opera bona esse, Deoq; placere, quae à renatis bonà intentione prater & extra praescriptum verbi divini consinguntur.

II.

Deinde Calvinii eiusque asseclarum, Ethnicorum politicè bona opera ita Deo probari asserentium, ut etiam per ea salvati sint.

III.

Tertiò Anathema dicit Concordia, partim affirmantibus, bona opera ad salutem esse necessaria, partim impiè contendentibus, ad salutem perniciose esse bona opera.

IV.

Damnamus etiam Epicureos & Libertinos, quorum hi eiusmodi licentiam renatis adscribebant, quae sive boni quid, sive mali facerent, Deum tamen offendere haud possent. Illi verò indefinitè omnibus eandem licentiam concessam esse contendebant.

Quin


V.  
Quin nec illos Ecclesia ferre potest, qui coactè renatos bona opera facere oportere cavillati sunt.

VI.  
His addimus & jam antè damnatos Romanenses, nec non hisce ὁμοψή-  
Φως, contra omnem scripturam affirmare non erubescentes, illos, qui contra  
conscientiam peccarint, inq̄ peccatis perseveraverint, fidem, ac Spiritum san-  
ctum retinere inq̄, fidelium numero permanere.

VII.  
Ad extremum eodem Anathemate notamus canonem Tridentinæ syno-  
di, qui fidem, & salutem per bona opera, non verò per fidem in nobis conservari  
minimè Christianè pronunciavit.

Τῶ Θεῶ δόξα.







Continens d

De Boni

PRO F

LA CH

CON

Quam assiste

SUB P

Reverendi e

Dn. LEO

HUTTERI SS

Professoris in cele

genſi Publ. in Colle

gicarum priva


NICOLAUS

purge

Ad diem 17. Sept

pon

VVITEBERGAE,



Kodak

LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



8

